

Statuta



Capituli Quinque-Ecclesiensis

de anno 1863.

STATUTA

CAPITULI QUINQUE-ECCLESIENSIS

DE ANNO 1863.

QUINQUE-ECCLESII,
TYPIS JOSEPHI TAIZS
1894.

STATUTA
CAPITULI QUINQUE-ECCLESIENSIS
DE ANNO 1863.

L. J. Chr.

GEORGIUS GIRK
etc.

Memoriae commendamus, tenore praesentium,
quibus expedit universis: quod Venerabile Capitulum
Cathedralis Ecclesiae Nostrae Quinque-Ecclesiensis Nos
debita cum instantia oraverit, ut — quoniam Statuto-
rum Capitularium, anno adhuc 1782. conditorum, re-
visionem et modificationem mutata temporum adjuncta
depositerent, — exoptatam et communi voto deside-
ratam hanc revisionem admittere, respective Nova
Statuta Capitularia Auctoritate Episcopali ac Praesulea
Sanctione ratihabere, approbare et roborare velimus.
Quae quidem Nova Statuta Capitularia sunt sequentia:

§. I.

De professione fidei.

Quoniam fides princeps est virtus omnium cha-
rismatum, quae Deus in nos conferre dignatur, initium
sperandorum substantia bonorum, totius sanctitatis
basis et fundamentum: secundum Summorum Pon-
tificum et Tridentinae Synodi Decreta omnes et sin-
guli de Canonicibus et Dignitatibus in Ecclesia hacce
Cathedrali Quinque-Ecclesiensi provisi, orthodoxae suae
fidei publicam professionem non solum coram Epi-
scopo, seu eius Vicario Generali, sed etiam coram
Capitulo ante adeptam possessionem faciant, et in

Romanae Ecclesiae obedientia se permansuros spondent, et iurent. Ob publicum officium et subversante gravi alio impedimento absentes cum scripta Episcopi et Capituli facultate idem praestare poterunt coram alio sive Capitulo, sive Dignitario Ecclesiastico, a quibus testimonium de elicita fide petere et Episcopo atque Capitulo exhibere obligantur.

§. II.

De juramento Canonorum.

Eodem tempore, quo jurabunt se a Dogmatibus Ecclesiae Romanae, reliquarum omnium Matris et Magistrae, nullo unquam tempore recessuros: alio quoque se Deo cordium scrutatori solemni Sacramento obstringent de obedientia Episcopo, eiusque Vicario Generali iuxta Sanctiones canonicas exhibenda, Statutis item Auctoritate Episcopali firmatis, receptis denique laudabilibus Eiusdem Capituli consuetudinibus observandis. Instrumenta duplicitis jurisurandi propria cuiusque manu subscripta, alterum ad Episcopalis Officii, alterum ad Capitulare Archivum erunt reponenda. — Obedientia Episcopo, Patri nempe et Pastori animarum nostrarum fide jurata promittenda eq; etiam pertinet, ut honorem eius, qui corona est corporis nostri tueri, Ipsijs, in quo sitam esse Ecclesiam S. Cyprianus docet, ordinationibus obsequi, veram exhibere reverentiam, et si quae dissensionis inter Praelatum et Capitulum exoriretur occasio, hanc non fovere, sed toto conatu sopire, et grave, quod ab ea nunquam abesse potest, scandalum, modis omnibus avertere, omnes et singuli teneantur. — Quodsi Capitulum in pristinum Statum Loci credibilis restitueretur, tertium quoque juramentum decretale ei correspondens deponendum habebit.

§. III.

De Residentia.

Omnis in Capitulum cooptati, ac per hoc munis Capitularium sedulo obeundis auctorisati, quemadmodum eorum pleraque ac praesertim Ecclesiae Cathedralis ministerium in urbe Sede Episcopali atque Capituli perfici debere intelligunt; ita ad residendum se teneri agnoscant. Idcirco nemini integrum sit, ultra octiduum discedere, nisi de absentia sua Praepositorum Majorem edoceat. — Quodsi autem longiori tempore quempiam a Dioecesi abesse oporteat, insuper Episcopum de hoc reddat certiorem et eius facultatem obtineat.

§. IV.

De Officio Divino.

Canonicorum est, ut docet Tridentina Synodus, divina obire officia, Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, et inservire, atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distinete, devoteque laudare. Ad Ecclesiam proinde Cathedram legitimo cessante impedimento omnes compareant, et Missae Conventuali intersint, eamque pro benefactoribus applicare meminerint.

Quoties duplex Missa in Cathedrali praescribitur celebranda, etsi rubricae eam, quae est de festo post tertiam; eam vero, quae est de feria post nonam cantari jubeant; — tamen in festis tam de praecopto, quam abrogatis, quibus ejusmodi Missas concurrere contigerit, ex consuetudine rationabili huius Ecclesiae, propter solitum populi hora nona ad Missam solemnem, quae de Festo esse debet, confluxum, introducta, ordine converso, Missa de feria post tertiam, de festo post nonam Canonicam decantetur.

Si Praelatus ipse Missam Pontificalem celebraverit, adeoque Eandem pro ovibus suis generaliter obtu-

lerit, Missa pro benefactoribus per aliquem e Praebendariorum ordinem absolvatur.

In die anniversaria Consecrationis vel Translatonis Episcopi sub infula Sacrum fiat juxta praescriptum Missalis pro implorando Illi divino auxilio, ut resuscitata gratia consecrationis, onus angelicis humeris formidandum feliciter portare valeat. — Inde ad gratitudinem erga defunctos huius Ecclesiae Praesules ostendendam celebretur solemne Sacrum de Requie sub Infula pro iisdem die immediate sequenti commemorationem omnium fidelium defunctorum, quemadmodum die infra Octavam non impedita secundum pro fratribus in Capitulo defunctis, tertium pro benefactoribus, et quisque Capitularium in Suffragium animae Episcopi e vita decedentis Sacrificia 6. Missarum celebret, aut celebrari faciat; — nimirum, ut eis qui pervigilarunt tamquam rationem pro nobis reddituri, justum pietatis tributum rependant.

Decet quoque magnopere, ut ad contestandum erga Principem et Patriam affectum, et gratitudinem singuli Capitulares quovis anno in Festis Assumptionis Virginis Deiparae, et Ss. Stephani et Ladislai Regum, aut impedimento subversante aliis totidem diebus oblato Missae Sacrificio pro eorum incolumentate et felicitate Deum Optimum Maximum exorent.

Quamvis autem feriatis diebus Sacrum Conventuale Praebendarii decantare possint; Dominicis tamen, et Festis de praecepte, et abrogatis Canonici Ordine suo per turnum hoc munere perfungentur, legitime impeditum aliis, ex eodem Canonicorum Collegio supplebit, et quidem erga certum honorarium, juxta morem etiam in aliis Capitulis vigentem, si impedimentum sive ex infirmitate, sive ex absentia ortum ultra trimestre duraverit.

In Festis duplicibus primae classis, ut augustiori quadam externo apparatu populi pietas excitetur, diuinumque ipsorum Majestas clarius elucescat, Sacra Pon-

tificalia in Ecclesia Cathedrali habeantur, et Episcopo ea haud peragente Eadem prima in Capitulo dignitas, hac autem nequeunte aliae Dignitates sibi ordine succedant.

§. V.

De Choro.

Altera officii divini, quod Canonicis incumbit, pars est Chori frequentatio laudatis Concilii Tridentini verbis confirmata. Quam legem cum Patres quoque nostri in Synodo Nationali Budensi anni 1279. c. 45. agnoverint, et Concilium Provinciale Strigoniense 1858. celebratum rursus solemniter renovaverit; idcirco universi Ecclesiae huius Canonici animo serio reputent, neminem eorum esse a Chori disciplina exemptum, cui nec privilegium, nec justa excusatio suffragatur.

Porro quod ad Ordinem absolvendarum horarum Canonicarum pertinet, mane praemisso Campanae signo, hora media nona prima, tertia, sexta, et nona persolvantur, nisi missa votiva, aut una e duabus per rubricas praescriptis horarum antedictarum seriem intercipiat. Tunc enim Signum dabitur media octava, et tertio quadrante prima ante votiva, insuper tertia ante Missam per rubricam eo die praescriptam absolvatur, post haec reliquae minores horae locum suum sortiantur. Hora nona constanti tenore Missa conventionalis cantetur. A meridie hora tertia vesperae, et completorium, post has illico matutinum et laudes diei sequentes recitabuntur, seu pro ratione solemnitatis cantabuntur.

In nocte Nativitatis Domini Matutinum; et in commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum Laudes quoque solemnii ritu cum Cantu habeantur. — Idem observetur in Officio Hebdomadae Sanctae, juxta Breviarium Romanum accurate peragendo. — In Feste Ss. Corporis Christi, et per totam eius Octavam recepto jam more Ss. Sacramentum sub Missa, et

Vesperis publicae adorationi exponatur, quibus peractis Canonicus officians solenni ritu Benedictionem Eodem Sacramento populo impertiatur.

§. VI.

De Votivis.

Ut, quo fieri potest, majori ordine, curaque piorum Fundatorum, et Benefactorum voluntati fiat satis, sequentia fideliter observentur :

Primum adsit catalogus, sive tabella succincta obligationum, quae Capitulo oblatae, et ab eodem acceptatae sunt, dein ecce dat liber, in quo notetur, an et quomodo obligationes istae expletæ habeantur ; — Adsit item Protocollum votivale, in quo series fundamentalium onerum circumstantialiter descripta et Extraictibus Litterarum fundamentalium seu Testamentorum adjectis communita sit; ut per haec et notitia exacta officii Fundatoribus debiti conservetur, et accurata huius observantia facilius valeat obtineri.

§. VII.

De Processionibus.

Publicis et solemnibus Ecclesiae supplicationibus aut ex praescripto Missalis et Ritualis, aut ex pia consuetudine, vel denique ex majorum instituto ex Cathedrali Ecclesia duci solitis Capitulares intererunt; in Festo scilicet Ss. Corporis Christi, diebus Rogationum, S. Marci, Ss. Trinitatis, S. Floriani, S. Mariae ad Nives, Resurrectionis Domini et Dominica Secunda post Pascha, quas quidem rocheto et Mozetta induiti eo ordine, quem singulorum praerogativa, dignitates et jura exigunt, Cruce Capituli praecedente comitabuntur.

§. VIII.

De negotiis Capituli in communi tractandis et communibus omnium munis.

Capitulum pro posse curabit, ut jura Episcopatus vacante Sede salva permaneant. Quisque det operam ne bona Capituli, Ecclesiae, et Seminarii, tamquam res Dei et patrimonium Christi, traditum in fideles Capituli manus depositum dissipentur, aut ulla ratione alienentur, sed potius dissipata, aut abalienata pro facultate recuperentur. Universi in bonis et juribus praefatorum vindicandis, defendendis, ac etiam promovendis diligenter adhibeant operam, neque nomine Ecclesiae ac consequenter Episcopi, Capituli, aut Seminarii absque eorum, quorum interest consensu et plenipotentia debitum ullum contrahant.

Verum, quamvis bona quaevis Ecclesiastica ita etiam Capituli, Cathedralis Ecclesiae et Seminarii debitum onerare, et proventus eorum attenuare, deteriorisque reddere, integrum haud sit, licebit tamen gravi exposcente necessitate cum consensu S. Sedis Apostolicae et Majestatis suac Caesareo-Regiae iuxta art. XXX-um Concordati necessarios et in emolumentum bonorum convertendos sumtus mutuo levare, ita, ut quotannis certa, ac determinata summa in diminutionem debitorum eousque expendatur, donec illa penitus evanescant.

Negotia, rectam bonorum Capituli, Ecclesiae, et Seminarii administrationem concernentia, modum item ac media augendorum proventuum, removendorumque detrimentorum Capitularium semper in communi tractentur, et pluralitate votorum definiantur, atque ita definita executioni dentur. — Quodsi adjuncta temporum in administratione bonorum Ecclesiae Cathedralis quamdam innovationem, Contractuum stipulationem, aut majoris momenti regulationem exposcant, ante effectuationem etiam Episcopi approbatio et consensus expetendus est.

Communia et ordinaria sive lege sive ex adjunc-
torum indole manantia Capituli onera communi con-
silio, et junctis viribus supportentur.

In exercitio Jurium Capitulo propriorum, nec non
in dispensandis communibus Capituli proventibus, non
tantum praesentium, sed etiam in quantum fieri potest,
absentium votum, et assensu exquiratur.

Domus vacantes ordine dignitatibus et Senii eligan-
tur, electione per Capitulum confirmanda et Protocollo
inserenda. — Innovations, reparationsque tectorum, et
aliae necessariae in aedificiis fiant secundum Statuta
aedilia.

Necessaria errantis Capitularis monitio salva ju-
stitia et charitate secreto fiat per Praepositum Major-
rem; quo non proficiente in Capitulo repetatur, ma-
nifestoque fratrum assensu corroboretur; si nec nunc
emendatio subsequatur, Episcopo denuncietur.

Officia a Canonici geri, aut praestari solita: uti
heddomadarium in dirigendo Choro, Solemnium Mis-
sarum in festis et profestis diebus celebrationem etc.
nemini Capitularium citra gravem causam recusare
integrum erit.

Qui ad publica Capituli negotia civilia, aut eccle-
siastica tractanda fiducia eiusdem exmittitur, ut par est,
agat, quo provincia sibi credita pro honore et bono
Capituli sedulo defungatur; officio perfunctus fidam
Capitulo relationem oralem, aut pro rei gravitate
scriptam praestet; expensis e communi Capituli penu-
suppedatis.

Capituli membra convenienti ac reciproco honore,
et dilectione invicem prosequantur, atque communem
totius corporis non minus ac singulorum membrorum
famam, jura, fortunaque bona, illaesa servent, quin
alaci sinceroque animo tueantur. Sint omnes et sim-
guli solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis
et charitatis.

Qui e capitaribus deputationi foundationali vi

muneris sui interesse debent, diligentem adhibeant
operam, ut et piarum Fundationum Capitalia omni-
moda cum hypothecaria securitate, et propter Super-
inspectionis facilitatem in regula tantum intra ambitum
Dioecesis elocentur, et legale interusurium tempestive
numeretur. Manente tamen posthac etiam Capitu-
lum jure et obligatione piis fundationibus suis invi-
gilandi. Quodsi tamen injuria adjunctorum Capitalia
quaedam, a quibus duodecimalitas Cassae Salariali hu-
cendum illata est, et posthac quoque inferetur, interci-
derent, onus refusionis, seu redintegrationis secundum
Statuta foundationalia non Capitulum, sed Fiscum Sa-
lariale premit.

§. IX.

*De cuiuslibet Dignitatis et Canonici munere et officio
singillatim.*

Praepositi Majoris est Capitulum ordinarie
feria sexta cogere, in eo praesidere, tractanda negotia
diriger, jura et emolumenta eiusdem promovere, totum
corpus et singula eiusdem membra honorare, diligere,
et tueri, atque ab omnibus, quae his inimica sunt,
sedulo abstinere, decisionem negotiorum Capitularium
juxta indubiam votorum pluralitatem enunciare, horum
non minus ac capitularium Statutorum observantiam
urgere, ne communia Capituli officia negligantur, neve
pax, fraterna dilectio, ac animorum concordia, per
quemcunque in Capitulo turbetur, aut laedatur, prin-
cipaliter invigilare; graviora Capituli negotia praevie
singulis communicare, quo maturiori postmodum in
Sessione Capitulari judicio definitur, demum in
omnibus praeclaro vitae exemplo praelucere; Praepo-
sito Majore impedito Senior in Capitulo dignitas eidem
praest, ac tractanda negotia dirigit.

Lectoris est Archivi Capitularis utriusque curam
gerere, rectum in iis ordinem manuteneret, indices in

exquirendis documentis necessarios conservare, ac perficere, medio Capituli petentibus documenta pro usu in origine vel copia extradare, et recipere, extradata et recepta libro inserere; Sigillum capitulare custodire, atque si quae antiquarum fassionum aut testamentorum transumpta in sequelam legitimae requisitionis extradanda sint, haec in Capitulo per Lectorem perfecta, et subscripta, ac Sigillo Capitulari munita promovere.

Cantor, divinorum officiorum, Missarumque dominicalium, festivalium, et votivarum seriem disponit, rite consignat et in Sacristia Capitulari initio cuiusvis mensis exponit. Votiva et Anniversaria celebrata, nomina celebratum et praesentium Libro votivorum inserit, ac librum hunc ante festa Nativitatis Domini Rationanti Capitulari extradat, atque fideli obventionum votivalium divisioni invigilat. Neo-nominatos, et Dignitarios et Canonicos ex antiqua consuetudine installat. — Ult disciplina Chori ab omnibus Choro addictis diligenter observetur, omniaque in Cantu Gregoriano iuxta Graduale, Antiphonarium, et Psalterium graviter, modeste, et ad aedificationem suis temporibus cantentur, strenue intendit. Si partes officii divini recitentur, ut psalmi, precesque, semper modeste, devote, ac sine properatione enuncientur, neque sequens versus inchoetur, antequam praecedens plene terminatus fuerit, utque receptae et probatae consuetudines Ecclesiarum in Choro observentur, curabit. Ut sub Sacro Cantato a secundo ante Elevationem dato signo usque terminatam Ss. Hostiae, et Calicis Elevationem silentium, organo et musica cessante, observetur, utque nulla sub Sacris figuralis musica, sine latino psalmorum et hymnorum, ad Missam, Vespertas, vel alios s. ritus pertinentium, textu instituatur, solerter intendet. — Denique ut Musici et Choralistae artis sua rite periti, ac omnimode idonei elegantur, in explendis obligationibus suis diligentes sint, ac queavis in templo, et extra illud, offendicula et scandala caveant, curae habebit.

Custodis est bonorum et proventuum Cathedrales Ecclesiae administrationem conscientiose curare; Rationes quovis anno in triplici pro Capitulo nempe, Episcopo et Excelso Consilio parare et praesentare. Structurae, conservationi, et ornatiui antiquissimi huius templi solerter intendere, Sacri thesauri, et pretiosorum paramentorum tutam custodiā, omnisque s. supellectilis ac totius templi munditiam et convenientem ornatiū cordi habere, inventario omnium harum rerum saepius reviso. — Securitati regnicolaris Archivi invigilare, claves eius nonnisi Canonico Capitulari tradere, aut si diutius eum abesse contigeret, ipsi Capitulo. — Quidquid huic Archivo sive per se, sive per alios illatum aut exceptum fuerit, singulare connotationum libro, temporis ac loci, quo repositum fuit, mentione adjecta, inserere. — Instrumentorum musicorum et librorum ad Cantum, musicamque pertinentium indicem saepius revidendum habere, et ne instrumenta in profanos usus adhibeantur, aut per incuriam destruantur, et intereant, diligentem dare operam. Requisitos sumptus et erogationes in templum eiusque bona impendendo e fisco Cathedralis Ecclesiae assignare; quodsi tamen requisita sumtuum quantitas notabilis esset, et 500 flinos non excederet, Capituli, si ultra praefatam summam, etiam Episcopi consensum expetere. Demum: Servitores Cathedralis Ecclesiae, qui res eiusdem custodiant, et requisita in Sacrario et templo praestent servitia, fideles et idoneos constituere, agenda iis praescribere, atque ut haec rite perficiant monitis ac etiam dimissione, cum scitu Capituli, efficaciter adurgere.

Archidiaconi antea e munere suo ordinandorum examini interesse, examinatos adprobatos pridie ordinationis apud se collectos, familiari pio sermone, ut recta intentione animoque ad solam Dei gloriam promovendam erecto ad gratiam Sacramenti accedant, excitare; — ita preparatos Episcopo praesentare, eorumque nomina descripta habere, et in ordinationibus

Officio in Pontificali expresso fungi debebant. Quia tamen haec omnia nunc ex usu semper Seminarii Rector peragere, et vice Archi-Diaconi fungi solet, qua tales e parte Capituli non aliud muneris habent, quam Fundationes et Cassas curae Venerabilis Capituli creditas pro re nata administrare, et verbum Dei prae aliis Canonicis, praecipue in festis Ecclesiae Cathedralis, praedicare.

Canonici Theologi munus est generatim theologicis Cleri Junioris Studiis promovendis intendere, speciatim vero praescripti altiori loco, vel per Ordinarium Systemati Studiorum theologicorum ad intentionem Ss. Concilii Tridentini conformiter officio Professoris Theologiae fungi, curare, ut preelectiones praescriptis horis et diebus in Theologia inomisso ab omnibus serventur, — cum reliquis moderatoribus consilia saepius conferre, quomodo et quibus viis juventus salubriter et efficacius in vera Doctrina Catholica et Scientia Sanctorum eruditiri queat, ut et ipsi nempe Clerici solidam sibi rerum divinarum convictiōnem procurare, et aliis sacrosancta Religionis Christiano-Catholicae dogmata instillare, et una veri ac practici animarum curatores evadere possint. Ad illum diriguntur ab Ordinariatu litterae, quae in genere studia theologica quoquo modo respiciunt, ille communicat Circulares Litteras per Dioecesim dimissat Professoribus. — Praecipuas habet partes in proponendis thesibus annue Clero Curato pro exercitio ad resolutionem assignari solitis, — mutuis nempe cum Professoribus collatis consiliis ad provocationem Episcopi temporum adjunctis conformes, idoneas, accommodasque quaestiones pro elucubratione plures Praesuli praesentat, harum resolutiones dein crisi subjicere, et apposito calculo censurare, opinionemque Ordinario exhibere, inter ejus munia refertur. — In Synodali quoque examine, tentamine item Ordinandorum, atque Neo-Presbyterorum, et Parochorum pro iurisdictione obtinenda praecipuum

habet locum. In scabellorum tempore defigendo, examinibus semestralibus debito tempore servandis Pro-Directori Facultatis Theologicae et Episcopo sua consilia offert, quem etiam de Professorum, et Cleri Junioris applicatione, diligentia, vel etiam defectu, pro munere suo statis temporibus certiore reddit.

Poenitentiarius, qui facultate a casibus reservatis absolvendi ab Episcopo providetur, Sacramentum Poenitentiae ad se recurrentibus impertiet, eumque in finem diebus solemnioribus pro sacro tribunal sedebit. Omni denique tempore boni Pastoris exemplo promptum ad levandas in humeros resurgere a peccatis volentes oviculas semet exhibebit.

Parochus sedulo curabit, ut sacra parochialia et sermones sacri statis temporibus habeantur. — In Festis Domini et Beatae Mariae Virginis, nisi per aliquem sublevetur, ipse ad concionem dicet. Denique diligentem adhibebit operam, ut quae vel in Visitatione Canonica definita sunt, vel altioribus Ordinibus sacrae, civilisque potestatis juxta indolem nostri temporis sanctiuntur, accurate semper observentur.

Praefectus bonorum Seminarii, qua talis huius bonis, juribus, censibus intendet, et proventus justis modis augere conabitur, ut Alumni pro necessitatibus Dioecesis majore numero requisiti commode inde alii possint. — Officialibus, aliisque servitoribus invigilabit, ut illi officio suo quisque dextre et impigne fungantur, ut relationes de statu Dominii accurate praesentent, emergentes defectus tempestive insinuent; ut collaborant omnes, quo rectiore administratione, et uberiori cultura bona Seminarii sic offlorent, ut tam materialibus indigentiis clericorum, quam expensis quoad intellectualem culturam succurri possit semper. — Necessarias sessiones oeconomicales diebus Sabbathi more consveto et recepto servabit, ibique auditis etiam officialium opinionibus congrua disponet. — Ad bona Domini frequenter excurrat, ut ipse propriis oculis

cernere queat ea, quae scire et nosse ipsi consultum et necessarium est, suaque praesentia animum addat, et incitet ad diligenter serviendum Dominio cunctos eius servitores. — Assignmentes, contractus, et erogationes omnes sua subscriptione firmet. — Rationes quotannis Capitulo praesentet, per hoc Episcopo sub-sternendas. — Cum autem Capitulo incumbat, pro rebus et bonis Seminarii respondere, decedente ab officio Praefecto, duo Capitulares exucittantur, resignationi interfuturi, eamque Scripto Capitulo exhibituri.

Rector Seminarii, qua talis praeprimis intendat, ut disciplina Ecclesiastica per Alumnos, item leges per Ordinarium Clero Juniori praecriptae ad amussim et inviolabiliter ab omnibus in Seminario observentur; aget junctis viribus cum reliquis Superioribus: Vice-Rector, Spirituali, et Studiorum Praefecto in omnibus bono exemplo praecundo: ut juvenes in sortem Domini adlecti in pietate, humilitate, obedientia et modestia clericali ampliores quotidie faciant progressus, ut in virtute et scientia Sanctorum progredientes vitae innocentia quoque praeluceant cunctis, sintque aedificationi in omnibus populo fideli, — quantavis autem scientia morum improbitati juncta, nemini suffragari intelligatur. — Curabit ut famulitium honestum, et morigerum ad domum conducatur, ne ab iis quid perversi et scandalosi clerici videre, vel discere possint. — Si qui e Clericis in observantia disciplinae, vel in Studiis segniores deprehenderentur, eos primum paterne monebit, dein in consessu cum Superioribus celebrando corripiet, poenaevi si necesse fuerit, subbjicit.

Invigilabit, ut reliqui quoque Superiores dextre, quisque munere suo fungantur, ut Vice-Rector, quae victum et amictum concernunt, — Spiritualis, quae Ordinem in Sacello quoad preces, et cetera pietatis officia, — Studiorum-Praefectus, quae ordinem studiorum et observantiam disciplinae, et modestiae clericalis

in superiori praesertim, ambitu respiciunt diligenter current. Episcopo desideranti de Clero Juniori, omnive Seminarium proprius concernente objecto statis temporibus relationem et informationem praestabit. Menstruis repetitionibus — vulgo Scabellis — ut de progressu Cleri Junioris in Studiis theologicis convinci possit, intererit, iisque per vices praevidebit.

Quod ordinationem concernit: Sive pro tonsura, et quatuor minoribus; sive etiam pro sacris majoribus ordinibus clerici promovendi sint, eos praevie edocebit de iis, quae de natura, fine et officiis ordinum suscipiendorum eos scire convenient et necesse est. Examen Ordinandorum cum adlatero sibi alio sacerdote pergit, et dein Episcopum de resultato — comite opinione utriusque — debite informat. Examinatos et adprobatos familiari pio sermone excitabit, ut recta intentione, animove ad solam Dei gloriam promovendam erecto, ad gratiam Sacramenti accedant; praeprimis ad s. Subdiaconatus ordinem promovendos graviter commonefaciet, exhortabiturque, ut dignitatem officii perpendentes, simul recogitent se saeculo valēdere, neque ad illud amplius regredi posse, ab hocque gressu sortem illorum felicem vel infelicem dependere; ita praeparatos Episcopo praeresentabit, et eorum nomina descripta habebit, ac in Ordinationibus officio in Pontificale expresso, qua vicesgerens Archi-Diaconi fungetur.

Denique omnem impendet operam: ut juvenes eius manudictioni subjecti educentur in viros perfectos, formentur in egregios animarum pastores, evadant strenui praecones fidei, dignive omni sub respectu in vinea Domini operarii, verbo proficiant sapientia; aetate, et gratia apud Deum et homines.

Decanus, communis Capituli voto denominetur, administrationi bonorum Capitularium intentus sit. — Distributionem proventuum inter Capitulares citra ullius injuriam fideliter, et sine personarum acceptione peragat.

§. X.

De Proventibus Canonicorum.

Proventus omnes in undecim aequales partes ita dividuntur, ut ex his duas partes Praepositus Major accipiat, reliqui autem aequaliter participant. — Vacantis autem stalli proventus uti et ferae ac fructus inter omnes aequaliter dividuntur. — Si Praebendam Canonicam vacare contingat, una tertia proventus juxta Normativum in benignis collationibus regiis ante annum 1848 editis contentum in aere parato toto vacantiae tempore Cassae diocesanae resignanda est, — reliquum autem titulo suppleturarum inter Canonicos, uti supradictum, aequaliter dividitur. Cassa Nemonis, quae antea pendentes proventus percipiebat, e spontaneis Canonicorum oblatis postliminio conflata, cui etiam emersura quaevis e convictione officialium summa infertur, in Communes Capituli seu oeconomicas, seu Patronatus necessitates expendenda per unum e Capitularibus administratur.

§. XI.

De Testamentis, et ultima voluntate Canonicorum, horum item et Episcoporum funeribus.

Curae sit Capitularibus, ut dum adhuc tempus suspettit, testamentariam dispositionem de bonis suis faciant, eamque in duobus exemplaribus describant, ut unum Capitulo cedat, aliud autem Judicio civili sub sigillo praesentari possit. — In condendis autem testamentis demonstrare unusquisque satagat, quod ea, quae de altari summit, Dei esse, piisve usibus dicari oportere memori mente ratineant.

Si quem e commembbris Capituli gravius infirmari accidat, deputandus est e gremio, qui pro lege charitatis aegrotum saepius adeat, et ne quid ipsi sive spiritualis, sive temporalis subsidiis desit, neve ea oc-

casione eius substantiae detrimentum inferatur, diligenter curet. — Si quod periculum imminere videatur, agat ut infirmus Sacramentis muniatur, et viatico mortientium provideatur. — Salutare erit pro graviter aegrotante Missam pro agonisantibus praescriptam celebrari facere. — Pro defuncto Capitulari, cuius mors omnibus in patria existentibus Catholicis Capitulis significabitur, justa funebria cum Officio Defunctorum fiant. — Quisque Capitularium obstrictus sit praeter consueta in Dioecesi suffragia tres Missas pro defuncti Confratriss reque Deo offerre. Si quem Canonicorum sine sufficientibus facultatibus obire contigerit, communi Capituli sumptu funeralia pro dignitate et more aliorum curentur.

Praesulis mors intra triduum omnibus Regni Episcopis et Capitulis per Litteras significabitur, atque Episcoporum unus, ut Exequis his praesit, invitabitur. Pastores animarum quotquot adesse poterunt, ad persolvenda Antistiti suo justa funebria comparere jubentur: eius mors tam in urbe quam in Dioecesi pulsu Campanarum triduo solitis horis peracto fidelibus significetur. — Et quia omnis recta Ecclesiae procuratio in eo posita est, ut regendo Dominico gregi praeficiatur qui optimus et utilissimus est: cum primum Ecclesiam hanc Quinque-Ecclesiensem vacare contigerit, preces publicae decernantur, atque a Capitulo per Civitatem et Dioecesim indicantur, ut a Pastorum Principe talem Praesulem impetrant, qui secundum cor eius est.

§. XII.

De Archivo et Sigillis Capituli.

Cum in tabulario sive Archivo Regnicolarum Instrumenta litteraria, quae Capituli fidei hactenus credita sunt, aut imposterum credi contigerit, item Ecclesiae pretiosa et variorum fiscorum obligatoriales

custodiantur, omnis adhibenda erit diligentia, ut inde omne periculum absit. — Hinc illud nunquam, nisi duobus Capitularibus praesentibus reseretur, neque perquisitio et extractio documentorum aliter fiat. — Expeditiones per duos Capitulares comportentur et per Lectorem, vel hoc legitime impedito, per alium subscriptae in duorum pariter Capitularium praesentia sigillentur, sigillo majori, constanter in Archivo, minori penes Lectorem existente.

§. XIII.

De Fisco Aedili.

Indubium est, omnia aedificia Capituli ejusdem proprietatem esse, ad ea proinde conservanda et sarta tecta posteris tradenda, idem Capitulum etiam obligari. — Sed et illud justum et aequam esse, ut possessor temporaneus pro usufructu horum aedificiorum ad eorum etiam conservationem concurrat.

Ne itaque sive Capitulum onera ipsum attinentia a se amoliendo, vel onera ipsi non incumbentia ferendo, sive inhabitator aedificia ruinata innovando, vel debitas reparaciones negligendo, sive novus possessor lapsui proxima aedificia recipiendo vel innovations a priore possessore indebite postulando damnum et injuriam patiatur, aut inferat, unanimi Capitularium consensu sequentia statuta sunt:

I^o Confletur Cassa aedilis Capitularis, in quam singulus Canonicorum viventium pro praeterito quidem ab eo inde tempore, quo domum Capitularem inhabitare coepit, computando pro singulis annis viginti (20) flnos mon. conv. cum interusurio, in futurum vero 20 tautum flnos con. mon. annue usque dies vitae inferre sit obstrictus. — Pecunia vero ita conflata, initio cuiusvis anni penes assignationem officii diocesau ad Cassam Fundationalem generalem solitis cum cautelis elocanda transponatur.

II^o Cassa haec aedilis promat expansas ad soliditatem aedificiorum necessariorum Capitularium conservandam vel instaurandam, — in quantum edacitate temporis, vel casuali aliquo infortunio consumerentur, — requisitas.

III^o Domum Capitularem inhabitaute vita comite, aut post fata ejusdem relictam substantiam manet onus reparaciones et renovationis; Capitulo ligna in silvis suis praexistentia, tegulas item ac imbrices e proxima tegulari domo gratis, praeter expensas vectuarum, suppeditante.

IV^o Si quis tamen Capitularium proprio aere quasdam in area, aut horto structuras ad majorem incolatus commoditatem, aut amoenitatem erigere vellet; id praevio nomini Capitulari consensu obtento eidem integrum sit effectuare. — Successori attamen haec in bono statu recipienti, ac usuanti prout vita comite conservationis, ita post fata reparationis obligatio incumbat. — Plantationem arborum fructiferarum in hortis domesticis praeципuis incolentium curis, ita excisionem earundem citra meliorum plantationem opribriis accensendam venire, vix memorare necesse est.

V^o Itaque quoties Capitularis quaepiam domus capitarialiter alteri tradenda est, duo Capitulares exmittantur, qui assumtis in consortium artis peritis, iisque coram respectivo Judice adjuratis inspiciant, quid secundum praemissa sumptibus Cassae aedilis, quid item sumptibus prioris inhabitatoris reparandum sit? Opinionemque suam cum sumptuum projecto Capituli deliberato substernant.

VI^o Condito et auctoritate ordinaria gratirose approbato hoc statuto priora omnia hoc in merito condita Statuta exspirant, roboreque suo destituuntur, ac omnem rigorem amittunt.

Actum Quinque-Ecclesiis in Capitulo Nostro die decima Julii, Anno millesimo, octingentesimo, sexagesimo tertio celebrato.

Nomine Capituli 5-Ecclesiensis

Josephus Kelemen mp.
Praepositus Major.

Cum Statuta haec nihil contineant, quod sive Disciplinae Ecclesiasticae, sive sacris Canonibus, et laudabili Ecclesiae consuetudine adversum esset; cumque per exactam horum observantiam major Dei gloria et Ecclesiae utilitas, majusque Venerabilis Capituli bonum augeatur, Dilectio mutua et fraterna charitas inter Capitulares consolidetur: idcirco Nos omnia praerecensita Statuta, ad quorum sanctam et inviolabilem observationem Venerabile Capitulum, omniaque eius membra, in solidum et seorsive festive se et suos successores obstrinxerunt, potestate, qua a Deo instructi sumus, approbamus, et omni meliori modo, forma, et ratione confirmamus et roboramus, Praeposito Majori Capitulari pro tempore existenti commitentes et mandantes: ut Statutorum horum exactae observationi pro conscientia sua semper advigilet, nec unquam admittat, ut ab obvio et literali sensu eorum recedatur, et si aliquando dubium occurreret, clarificationem et invitationem a Nobis successoribusque nostris, ad quorum jus Statuta haec interpretandi pertinet, petere debeat ac teneatur. Alter non facturus. — Datum Quinque-Ecclesiis in Residentia Nostra Episcopali, die festo s. Ignatii Loyolae in 31-am Julii incidente, anno salutis Millesimo, Octingentesimo, sexagesimo tertio.

Georgius Girk mp.
Eppus Quinque-Eccles.

Statuta



Capituli Quinque-Ecclesiensis

de anno 1863.